



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II

EPISTULA DATA
EDUARDO IDRIS S.R.E. CARDIANLI CASSIDY,
PREAESIDI PONTIFICI CONSILII
AD UNITATEM CHRISTIANORUM FOVENDAM

Venerabili Fratri Nostro

EDUARDO IDRIS S.R.E. CARDINALI CASSIDY

Praesidi Pontificii Consilii

ad Unitatem Christianorum fovendam Universalis cuiusdam per terras laetationis communisque passim gratulationis causa mox iustissima sane erit, Venerabilis Frater Noster, cum tui ipsius videlicet sacerdotii primordia commemorabuntur ac longinqui tui ministerii egregia simul celebrabuntur digne merita. Tot enim locis, sive domi in patria sive in Apostolicae Sedis legationibus per orbem, sacra fructuose munera explevisti, tot homines credentes superioribus his decem annis in Christi fide confirmasti in studioque unitatis christianae inflammatos roboravisti, ut aureum presbyteratus tui iubilaeum, in diem vicesimum tertium mensis Iulii quod Deo benigne largiente incidet, animos innumerabilium quidem virorum et mulierum ubique recreaturum sit magnopereque exhilaraturum. Inter eos Nos haberi in primis volumus ac palam recenseri, quippe qui industriam sapientem fidelem tuam a Pontificatus Nostri initio iam statim animadvertemus, tibi publica similiter munia pro Ecclesia commiserimus procuranda, Nobiscum te in cotidiana communitatis ecclesialis gubernatione adiutorem et consiliarium apud Secretariam Status coniunxerimus, collegio Patrum Ecclesiae Cardinalium interesse pleno iure atque gravissimis omnino causis unitatis christianorum praeesse decem iam annos providi profecto voluerimus. Fervidam itaque Nostris e manibus accipito, Venerabilis Frater Noster, gratulationem hoc de tuae vitae eventu faustissimo, hoc de sacerdotalis tui operis ornatu clarissimo, dum gratulantes Nostras voces et publice proferimus et cum tot aliis bene precantibus tibi familiaribus et sociis, amicis et fautoribus consociamus: apud nativam tuam ecclesiam Sydneyensem paroeciamque Yendae Corvopolitanam, ubi tirocinium emensus es laudabiliter sacerdotii tui; apud corpus publicorum Sedis Apostolicae administrorum, quibuscum humanissime semper negotia Ecclesiae gessisti; apud Curiam Romanam, quae tuas animi virtutes ingenii dotes operum laudes ipsa proxime saepissimeque adhuc est experta; apud christiani nominis in unum coniungendi auctores, qui promptum te semper sodalem propositorumque participem optimorum ac vindicem reppererunt. Unanimo igitur adfectu precamur vehementer, Venerabilis Frater Noster, ut anniversarius presbyteratus accepti tui dies cumulum tibi adferat iucunditatis et consolationis, ut praemia tibi caelesti in

regno augeat, ut posterum etiam in tempus ad apostolatam sacerdotalem et episcopalem tuam fructuosius usque perficiendum impellat, ut dies deinceps annosque tuos electa in hac vinea Iesu Nazareni laetificet, comitante nimirum semper Apostolica Nostra Benedictione quam amantissime profecto his cum Litteris tibi transmittimus omnibusque celebrationis tuae consortibus. *Ex Aedibus Vaticanis, die II mensis Iulii, anno MCMXCIX, Pontificatus Nostri vicesimo et primo.* **IOANNES PAULUS PP. II** © Copyright 1999 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana